

In Dei nomine, amen. Anno Domini mill(essim)o ducentessimo octuagessimo quinto, indictione tertia decima, t(em)pore domini Honorii pape quarti et die iovis undecimo octubris. Ego Petrus do(m)jni Gentilis, syndicus, actor et procurator hominum de Valle Castellani contentorum in instrumento syndicatus mei, videlicet hominum de terre Ceresie, terre Sorbi, terre Stornaçani et terre Rosarii, ut constat in instrumento syndicatus inde confecto manu Antonii Gisonis de Guasto notarii a me notario infrascripto viso et lecto, syndicario et procuratorio nomine ipsorum hominum et universitatum, propria et spontanea mea bona voluntate, pro me et successoribus meis et dictorum hominum, promitto et convenio et facio cidadantiam civitatis Esculi vobis Vitaleoni Sciolfi, Ph(ilipp)o Frederici, Egidio Venture et Bongarçono Bonandi Palmerii syndicis co(mmun)is Esculi et dicto co(mmun)i, stipulantibus et recipientibus syndicario nomine ipsius co(mmun)is et pro ipso co(mmun)i, nomine dictarum universitatum et singularum personarum ipsarum, secundum formam statuti dicte civitatis et etiam promitto facere et subire honera et factiones dicte civitatis eiusdem et promitto vobis predictis syndicis et dicto co(mmun)i Esculi, recipientibus nomine et vice co(mmun)is Esculi et pro ipso co(mmun)i, dare, solvere et pacare annuatim in festo nativitatis domini nostri Ihesu Christi quinquaginta libras Vult(erranorum) syndicario nomine dictarum universitatum et singularum personarum ipsarum. Item ego dictus syndicus, syndicario nomine dictarum universitatum et singularum personarum ipsarum, promitto et convenio vobis predictis syndicis, stipulantibus et recipientibus nomine dicti co(mmun)is et pro ipso co(mmun)i Esculi, quod omnes et singuli homines dictarum universitatum et dicte Vallis Castellani et qui in futurum venerint ad habitandum cum eis extimabunt et ponent in extimis dicti co(mmun)is Esculi omnia bona ipsorum mobilia et stabilia, presentia || (c. 36v - XLv) et futura infra unum mensem post requisitionem eis factam per syndicu[m] dicti<sup>(a)</sup> co(mmun)is Esculi. Item ego dictus syndicus,

nomine dictarum universitatum et singularum personarum ipsarum, promitto et convenio vobis predictis syndicis, stipulantibus et recipientibus nomine dicti co(mmun)is Esculi et pro ipso co(mmun)i, dare, solvere et pacare collectas fumantium, que imponentur per co(mmun)e Esculi tam infra civitatem quam extra in locis in quibus habitabunt ac etiam promitto<sup>(b)</sup> et pactum facio, syndicario nomine dictarum universitatum et singularum personarum ipsarum, vobis predictis syndicis, stipulantibus et recipientibus nomine dicti co(mmun)is et pro ipso co(mmun)i, tenere et observare partem ecclesiasticam dicte civitatis Esculi perpetuo. Item ego syndicus predictus, syndicario nomine dictarum universitatum et singularum personarum ipsarum, promitto et convenio vobis predictis syndicis, stipulantibus et recipientibus nomine dicti co(mmun)is et pro ipso co(mmun)i Esculi, quod omnes et singuli homines dictarum universitatum et dicte Vallis Castellani et qui in futurum veniunt ad habitandum cum eis, nominabunt et eligent quolibet anno de dicta civitate Esculi unum capitaneum vel rectorem pro predictis universitatibus gubernandis et defendendis, sub protectione et iurisdictione dicte civitatis Esculi de dicta parte ecclesiastica et sequacibus dicte partis cum salario condecenti. E converso nos predicti syndici, procuratores et actores dicti co(mmun)is Esculi, syndicario et procuratorio nomine dicti co(mmun)is, pro nobis et successoribus nostris et dicti co(mmun)is, propria et spontanea nostra bona voluntate recipimus te, Petrum do(m)pni Gentilis, syndicum, actorem et procuratorem dictarum universitatum et singularum personarum ipsarum stipulantem et recipientem, nomine ipsorum et pro ipsis et ipsas singulares personas dictarum universitatum et omnes illas personas, que in futurum veniunt<sup>(c)</sup> ad habitandum cum eis in cives predicte civitatis et quod ipsas personas et ipsarum quamlibet manutenebimus et defendemus ac etiam dictum co(mmun)e manutenebit et defendet sub districtu et iurisdictione civitatis predicte, sicut alios cives civitatis eiusdem tam infra dictam civitatem quam extra et in qualibet curia, ita tamen quod dicta pacta suprascripta et infrascripta non preiudicent accabellis co(mmun)is Esculi, dum tamen licitum sit dictis hominibus dictarum universitatum habere et retinere mōlēdina in eo loco et eiusdem districtu, qui assignabitur eisdem ad

habitandum per co(mmun)e Esculi et quod possint dicti homines portare et portari facere macinas oportunas et necessarias ipsis molendinis ad ipsa molendina per civitatem Esculi et undecumque eis placuerit per districtum dicte civitatis absque aliqua contradictione, capitulo aliquo dicte civitatis Esculi nonobstante et specialiter capitulo quod loquitur «De macinis non portandis extra civitatem». Item promittimus et convenimus nos predicti syndici, syndicario nomine dicti co(mmun)is et pro ipso co(mmun)i, tibi dicto syndico, stipulanti et recipienti nomine dictarum universitatum et singularum personarum ipsarum, dare et assignare tibi<sup>(d)</sup> syndico et eisdem universitatibus et hominibus dicte Vallis Castellani aliquod certum locum, in quo secure predicte persone dictarum universitatum valeant habitare sub dominio, protectione, iurisdictione et defensione dicte civitatis, prout videbitur ancianis populi dicte civitatis vel aliis sapientibus, sicut videbitur domino potestati dicte civitatis ad hoc specialiter transmittendis, ita tamen quod<sup>(e)</sup> omnia et singula superscripta et infrascripta pacta non preiudicent iuribus ecclesiasticarum et singularum personarum civitatis et districtus Esculi, set in omnibus et per omnia iura ipsarum ecclesiasticarum et singularum personarum civitatis et districtus Esculi sint salva et reservata ipsis ecclesiasticis et singularibus personis dicte civitatis et districtus eiusdem contra dictas universitates et singulares personas dictarum universitatum et contra omnes alias personas que venerint ad habitandum cum eis. Et hec || (c. 37r - XLIr) omnia supradicta et singula

P tendere et observare promitto perpetuo. Acta fuerunt hec omnia in palatio co(mmun)is Esculi, in consilio privato co(mmun)is et populi in dicto palatio, mandato nobilis viri domini Rambertuctii de Monte Lupone, honorabilis potestatis civitatis Esculi, sono ca(m)pane et voce preconia more solito congregato. Presentibus dicto domino Rambertuctio de Monte Lupono, domino Antonio Bivoli, Francisco Gentilis, Petro Gualterii, Bonuscambio Barth(olome)i, Iordanus Iohannis, Angelo Credonis, Oro Ori, Paulo Vincentii, domino Ber(arde) Thom(axii) et domino Bart(holomeo) Abbiamontis et Masseo Ber(ardi), qui rogatus est de subscriptione dicti contractus. Et de predictis omnibus fieri debent et possunt unum et plura instrumenta tam pro parte co(mmun)is quam pro parte dictarum universitatum et hominum ipsarum et omnium aliarum personarum, quas predicta tangerent.

Et ego Petrus<sup>(g)</sup> Iohannes de Cappella de Regio, iudex ordinarius et notarius et tunc scriba co(mmun)is et populi civitatis Esculi, hiis omnibus interfui, audivi et rogatus scripsi. (ST) || (c. 37v - XLIv)